



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...


Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

Sectio Vnica. Explicatur tertium Ecclesiæ præceptum quod de Ieiunio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38979**



## CAPVT V.

*De Præceptis Ecclesie.*

**E**CCLESIE præcepta quinq; communiter numerantur, ut videre est apud Petrum Canisium in summa doct. Christ. Cap. 3, in quorum primo, & secundo sanctificatio dierum festorum, & in iisdem diebus Missæ auditio præscribitur: in tertio ieiunium certis diebus servandum iniungitur: in quarto & quinto confessio Sacramentalis semel saltem in anno faciendâ, & Eucharistia saltem in Paschate sumenda præcipitur. Et de primo quidem & secundo egimus supra in explicatione Decalogi: quartum & quintum etiam explicavimus in tract. de Sacramentis: quare nunc de solo tertio, scilicet de ieiunio servandi præcepto, aliquid dicendum nobis præest.

## SECTIO VNICA

*Explicatur tertium Ecclesie præceptum, quod est de Ieiunio.*

S. I.

*Quid ad debitam Ieiunii observationem requiritur.*

**I**EIUNII nomen tribus modis accipi solet. Primum per abstinentiam à vitiis & peccatis, iuxta illud 3. Aug. *Ieiunium magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus, & illius voluptatibus seculi, quod est perpetuum ieiunium.* Secundum pro abstinentia à quolibet cibo & potu; diciturq; ieiunium naturale, quale requiritur ex præcepto Ecclesiastico ad sumptionem Eucharistiæ, ut supra dictum est tra. de sacra. 5, Tract. 2, Cap. 5.

Tertio denique pro abstinentia quadam, & cibi subtractione secundum formam ab Ecclesia præscriptam; & vocatur ieiunium Ecclesiasticum: de quo proposita quaestio intelligenda est. Pro cuius resolutione.

Dicendum est tria præsertim requiri ad debitam Ieiunii Ecclesiastici observationem.

Primum est ciborum delectus, seu abstinentia à carnibus, ut docet S. Tho. 2. 2. q. 147. a. 8. & constat ex perpetuo Ecclesiae usu, & traditione, cuius testes sunt S. Basil. hom. 7. de Ieiunio, & S. Aug. lib. 20. contra Faustum c. 5. & alii plurimi apud Azor. lib. 7. c. 10. q. 6. Quamvis autem olim non à carnibus solum, sed etiam ab iis quæ à carne procedunt, ut ab ovis & lacticiiniis, in diebus ieiuniorum esset abstinendum, ut habetur ex rescripto S. Gregorii Papæ ad Augustinum Anglorum Episcopum; imò in quibusdam solemnioribus Ieiuniis v. g. sex diebus hebdomadæ sanctæ cibus tantum aridioribus, parte videlicet, aqua & oleibus vesci liceret, ut testatur S. Clem. lib. 5. c. 17. & S. Epiph. hæresi 75. Ecclesia tamen ob causas rationabiles de pristino illo rigore non nihil remisit, & abstinentiam illam strictiorem cuiusque devotioni relinquens, in quadragesima quiderit universim à carnibus & ovis abstinendam esse censuit; & lacticiiniorum usum in plerisque locis indulxit; in aliis autem ieiuniorum diebus per annum, etiam ovorum usum concessit: de quibus tamen (ut rectè monet Bonae. de præc. Eccl. pun. 2. sup. a. 6.) consuli debet, & servari cuiusque loci legitima consuetudo, quæ est optima legum Ecclesiasticarum interpretis.

Secundum est unica in die refectio ut docet S. Thom. & communiter cum illo Theologi omnes: quod melius proponi non potest (ut observat idem S. Doctor, & post illum Bonacina supra pun. 3.) quàm ex perpetua & universali Ecclesiae praxi; cum nullum super hac re decretum reperitur.

Tertium denique est certum refectiois tempus, ita ut refectio illa unica, non prandii, sed cœnæ rationem obtineat, ut tradit idem S. Doctor sup. art. 7. & constat ex S.

Ambro. Serm. 8. in Psal. 118. & ex S. Greg. hom. 36. in Euangelia, Et olim quidem aliis ieiuniorum diebus hora nona (quæ est tertia post meridiem) erat ordinarium solvendi ieiunij tempus; in quadragesima verò usque ad vesperam prorogari solebat, ut testatur S. Bern. serm. 3. de quadrag. *Hactenus inquit, usque ad horam nonam ieiunamus soli, nunc (in tempore quadragesima scilicet) usque ad vesperam ieiunabunt pariter uniuersi reges & principes, electus & populus, nobiles & ignobiles, simul in unam diem & partem.*

Ecclesia tamen his posterioribus sæculis, tum ob infirmitatem corporum quæ mundo ipso senescente minus vigoris retinent, tum ob aliàs rationes tacito consensu indulset, ut hora illa vespertina licite anticipetur, & in quadragesima diebusque aliis præscriptis circa meridiem ieiunium solui possit; atque ut præter illam refectionem modicum aliquid cibi ferò per modum cœnulae seu colatiunculae (ut vocant) sumeretur. Ita docent Nav. Armilla, Lessius, Azor; Regin. Tol. & alij apud Bonac. Supra pu 3. & 4. Diximus modicum aliquid cibi: qui enim notabiliter excederet, haud dubiè ieiunium frangeret.

Porro quantum cibi sumere liceat in eiusmodi cœnula, difficile est determinare: Azorius & alij apud Bonac. sentiunt quantitatem triù vel quatuor unciarum panis & fructuum licite sumi posse. Reginaldus apud eundem estimat, non esse notabiliter excedendâ quartâ partem cœnularum, quæ ipsi ieiunanti ad ordinariam cœnam sufficerent. Toletus omnium optimè censet in eo spectandum esse morem locorum, prout à pijs & timoratis personis seruari solet ieiunium; & intra illius limites unumquemque licite ac tuto continere se posse.

Rectè autem imonet Laym. Cap. 1. de obseruat. ieiunij, cautè intelligendum esse id quod docet Caiet. verbo *ieiunium* cap. 1. non referre, quid quisquis in serotina cœnula sumat, si modum non excedat, additque consuetudinem Ecclesiae à pijs & timoratis seruata hanc esse. ut in cœnula illa serotina non modò quantitas, sed etiam qualitas, & delectus ciborum obseruetur; utque nihil aliud cum pan

pane nisi fructus aliquot, vel olera in modica quantitate sumantur; neque sibi probari, quod aliqui nimis liberaliter adhibent, placentas & alia similia obsonia butyro frigida: quamuis iulculi cocti usum urgente praesertim aliqua infirmitate aut necessitate licite indulgeri posse existimet.

Ex dictis colligitur 1. crebriore potus sumptione non solui ieiunium, ut docet S. Th. sup. art. 6. ad 2. licet, si quis temperantiae modum in potu excederet, haud dubie peccaret, grauius quidem aut leuiter, pro ratione grauitatis vel leuitatis excessus.

Infertur 2. neque etiam solui ieiunium, si aliquid sumatur per modum medicinae; nisi forte (ut obseruat S. Doctor sup. ad 3.) in fraudem ieiunii aliquid eiusmodi sumatur in notabili quantitate.

Infertur 3. lectores, & ministros mensae in monasteriis aliisque communitatibus aliquid praesumentes non peccare, nec ideo ab illis ieiunium solui, ut ex Nau. & Cajet. docet Less. cap. 2. dub. 2. cum id ab eis fiat veluti inchoando prandium: sicut etiam ieiunium non solveret is, qui v. g. ob negotium aliquod a mensa auocaretur, & refectioem inchoatam interrumperet, & postmodum negotio absoluto ad mensam rediret, & prandium seu coenam perficeret.

Quaeres utrum anticipare notabiliter horam refectioem in die ieiunii, sit peccatum mortale. Navarr. & quidam alii affirmant: Tol. tamen & plures alii, quos citat & sequitur Lessius supra non nisi veniale peccatum committi existimant: imò dicit nullum fore peccatum, si iusta aliqua causa subsit; sicut nec si vespertina coenula mane vel meridie urgente aliqua causa rationabili sumeretur, coena in vesperum dilata.

§. II.

*Qua sit obligatio ieiunii.*

CERTVM & indubitatum est apud omnes Catholicos praecipitum Ecclesiasticum ieiunii obligare ad sui observationem sub peccato mortali, ut ex comuni Theologorum

Consensu docet Less. Sup. dub. 5. probatque ex eo quod  
 Can. 68. Apostolorum & can. 56. sexti Concilii generalis  
 Item can. 19. Concilij Gangrensis & pluribus aliis, viola-  
 tores ieiunii excommunicationis poena plectuntur; quæ  
 tamen ab Ecclesia nusquam nisi ob peccatum aliquod  
 mortale infligi solet, ut infra suo loco explicabitur; unde  
 sequitur illum peccare mortaliter, qui absque legitima  
 causa ieiunium aliquod ab Ecclesia præscriptum frangit.

Verùm difficultas est, quas personas, & quibus tempo-  
 ribus præceptum illud obliget. Quod spectat ad primum  
 docet S. Th. omnes Christianos, cuiuscunque sint dig-  
 nitatis aut perfectionis, præcepto ieiunij obstringi, nisi  
 iusta aliqua causa excusentur: unde etiam in Concilio  
 Viennensi ( ut habetur cap. *Ad nostrum* de hæreticis ) in-  
 ter alia prava Beguardorum & Beguinarum dogmata est  
 tanquam hæreticū illud, quo asseriebant, solus imperfectos  
 ad ieiunia obligari, perfectos verò ab illis esse exemptos.

Diximus ( nisi iusta aliqua causa excusentur ) sunt a. cau-  
 sæ aliquæ ob quas excusari potest quivis ab observatione  
 jejuni; quæ communiter ad tria capita reduci possunt, ut vi-  
 dere est apud Less. Bonac. Nau. & alios locis supra citatis;  
 scilicet ad impotentiam, laborem, & pietatem.

Ratione impotentia excusantur quotquot, qui sine  
 gravi aliquo incommodo vel notabili damno jeju-  
 nare non possunt ut infirmi convalescentes, debi-  
 les, ( accedente præsertim medicorum iudicio : ) item  
 mulieres prægnantes, & lactantes: item pauperes, qui  
 non habent quod eis ad unicam comestionem commode  
 sufficiat: ob eam causam excusantur pueri & adolescentes  
 usque ad annum vigesimum primum completum, ut do-  
 cet S. Th. art. 4. ad 4. sup. pu. ult. & post illum Abul. Nau.  
 Azor. Less. Regin. Tol. & plures alij apud Bonac. & ex-  
 cusantur etiam senes præsertim sexagenarij; quos tamen  
 ab hac ieiunij observatione minime exemptos esse docet  
 Abul. apud Bonac. supra, si ita robusti sint, ut certum sit  
 eos ex ieiunio nullum detrimentum in viribus corporis  
 pati; sicut è contrà Less. sup. & alij quos citat, existimant,  
 etiam

etiam ante illam ætatem eximi licitè posse à ieiunio illos in quibus vires & calor naturalis notabiliter minui incipiunt. Quod si dubitetur, an eiusmodi senes satis virium habeant ad incommoda ieiunij ferenda; tunc ad illud ferendum minimè censentur obligati, præsertim in præfata ætate sexagenaria, ut docet idem Less. supra.

Ratione laboris eximuntur illi, qui tali labore victum sibi comparant, cum quo ieiunium viriprudentis iudicio consistere non potest; quales sunt agricolæ, fabriferarii, & similes operarii, siue diuites sint siue pauperes, ut ex declaratione Eugenij 4. docet Less: imò Abul. Azor. & alij apud Bonac, sup. censent, eiusmodi operarios excusari à ieiunio, non solum die illo quo laborem intermittunt, si ieiunando laborem præcedentis aut sequentis diei sine graui incommodo ferre non possint, simili ratione excusantur viatores, præsertim pedibus iter facientes ob aliquam negoria quæ commodè differri nequeunt; quando itineris laborem simul cum ieiunii molestia sine graui incommodo ferre non possunt.

Qui verò solius delectationis gratiã puta venationis, deambulationis, iter alioquin longum susciperent, non excusarentur; cum in aliud tempus differre possent: sicut nec artifices, nec operarii illi, quorum labor exiguus est, & facile cum ieiunio tolerari potest; quales Bonacina dicit esse tonsores, pictores, sartores, &c.

Demum ratione pietatis excusantur omnes, qui operibus præstantioribus vel maioris momenti iucumbunt, quæ una cum ieiunio absque graui incommodo perficere non possunt; qualia sunt opera misericordie corporalis vel spiritualis: item opera religionis, ut concionari, docere, sacramenta ministrare, ornare templa, &c.

Porro cum dicimus hos vel illos à præcepto ieiunii excusari, id intelligi debet quatenus per illud præceptum unica solum refectio præcipitur, non verò quatenus carni & aliorum huiusmodi ciborum usus prohibetur; qui quidem rariùs concedi solet, nec nisi ratione grauius alicuius necessitatis, quæ si euidentis sit & urgeat, potest

rest quis carnibus, & aliis cibis vetitis licitè vesci etia absque ulla dispensatione, quando superior commode adiri non potest: quòd si necessitas non ita urgeat, vel de illa non tam euidenter constet, dispensatione superioris opus est, ut docet Less. dub. 6. qui etiam addit ex Toledo, iis, quibus carniū usus conceditur, his etiam censerī permissam secundam refectiōem: quod tamen testè limitat idem Less. si ratione alicuius infirmitatis, aut debilitatis id concessum sit; non autem si ea solum de causa, quia aliquis à piscibus aēhorret, vel quia pisces eius temperamento nocere censentur: tunc enim nulla sub est causa, cur secunda refectio concedatur.

Quod spectat ad tempora ieiuniorum, quæ ab Ecclesiā præscripta sunt, antiquissimum & apud SS. Patres maxime testatum & commendatum semper fuit ieiunium quadragesimæ, quod quidè testè S. Ignatio epist. ad Philip. S. Hier. epist. 54. ad Marcellam, & S. Leone serm. 9. de quadrag. ab Apostolis institutum est ad exemplum Christi Domini. Hoc autem ieiunium à feria 4. cinerum usque ad sabbatum sanctum inclusiuè obseruari debet, solis diebus Dominicis exemptis, in quibus sola à carnibus abstinentia seruatur; unde mortaliter peccant, qui feria quinta hebdomadæ sanctæ soluunt ieiunium: qui abusus in Conc. Laodicen. 50. omnino improbat, ubi dicitur. *Non oportere in quadragesima quintâ feriâ ultimâ hebdomadæ ieiunium solui, & totam quadragesimam inhonorari.*

Præter quadragesimale ieiunium, religiosè obseruatum fuit in uniuersa Ecclesia ieiunium quatuor temporum; quod quidem vel ab ipsis Apostolis, vel non multo post Apostolorum tempora institutum fuit, ut varijs SS. Patrum testimonijs probat Laym. Cap. 2. de obseruat. ieiunij. Alia etiam ieiunia indicta sunt in vigilijs quarundam festiuitatū solemniorum, Christi Domini, Sanctissimæ Virginis Deiparæ, Apostolorum. Aliorumque sanctorum; de quibus consulendæ sunt locorum leges & consuetudines, & id obseruandum, quod in qualibet regione seu diœcesi lex seu consuetudo legitima  
præ,



prescribit: si tamen vigilia alicujus jejunium incideret in diem Dominicam, anticipari deberet precedenti sabbato, ut habetur cap. *Ex parte*, de observatione jejuniorum, & ex communi Ecclesie usu satis constat.

Singulis quoque hebdomadibus diebus veneris & sabbati à carnibus abstinendum est, & ut constat ex communi Ecclesie praxi, & habetur ex c. *Quia dies*, dist. 5. de consecr. & ex cap. ult. de observ. jeju. ubi tamen excipitur si festum Natalis Domini in feriam 6. incidat: in illo enim casu *illis; qui nec voto, nec regulari observantia obstricti sunt* (ut loquitur Innocentius III.) propter excellentiam carnibus vesci possunt secundum consuetudinem Ecclesie generalis; nec tamen reprehendi debent, qui ob devotionem voluerint abstinere. In aliquibus etiam Gallie nostrae partibus concessus est esus carniū diebus Sabbathi à Christi Domini natali usque ad Purificationem.

Servatur etiam abstinencia à carnibus in festo S. Marci, & in tribus rogationum: quod quidem jam olim in Romana Ecclesia usitatum fuisse testatur ordo Romanus ca. de Litanis; minore.

## III.

*Quot modis peccetur in hoc Ecclesie preceptum.*

**P**ECCHANT in primis, qui absque justa causa aut legitima dispensatione in diebus ab Ecclesia prescriptis non jejunant, aut jejunium inchoatum solvunt: qui abstinenciam violant, carnibusque aut, aliis cibis vetitis vescuntur; cum hac tamen differentia, quod quoties quis edit cibos vetitos, toties peccet mortaliter qui verò per secundam refectorem jejunium violavit, non amplius peccet, saltem mortaliter, si postea pluries comedat, ut ex communi Theologorum consensu docet Laymannus, supra cap. 2.

Peccant quoque mortaliter, qui in die jejunii crebrius comedunt aliquid, licet in exigua quantitate; quamvis enim

(ut

ut dicit Less. sup. dub. 2. ) semel vel iterum paucas buccelles extra refectiois tempus comedere non sit nisi peccatū veniale, si tamen id crebrius fiat, puta septies vel octies, censetur esse mortale; quia crebra illa comestuncula æquivalent notabili refectioi.

Peccant etiam qui in cænula seu collatiuncula vespertina notabiliter excedunt ultra quam ieiunii ratio exigit, prout à piis & timoratis servari solet.

Peccant qui alios ad ieiunium violandum inducunt persuasionibus, irrisionibus, aut alio quovis modo: item caupones qui cœnam seu alteram refectioem apponunt iis, quos probè sciunt ad ieiunium obligari; quod quidem intelligendum est (ut monet Less. dub. 4.) quando absque gravi aliquo tuo incommodo illis negare possunt; & etiam quando nullum inde scandalum secuturum vident aliàs si timeatur ne iis, quibus cœna negatur, gravius Deum offendant, blasphemias & convitia proferendo, aut aliquid simile faciendo, poterit illis apponi: qua ratione dicit Lessus interdum excusari patres aut matres familias cœnam famulis & domesticis in die ieiunii permittentes, ne, si denegetur, gravius Deum offendant: aliàs si nihil simile timeatur, permittere non debent, ne peccatis eorum cooperentur.

Ad hoc præceptum quoque reduci potest peccatum eorum, qui temperantiæ, & sobrietatis in cibo & potu limites transgrediuntur, etiam in aliis diebus in quibus, nulla est ieiunandi obligatio: qui se cibis ingurgitant, unde notabile damnum in sanitate percipiunt; qui ex nimio potu inebriantur, seipfosque usû rationis per ebrietatem privant; qui alios ad largiùs bibendum inducunt, unde securam prævident ebrietatem: quod quidem ebrietatis peccatum eò gravius est, si ex illo alia peccata secutura prævideantur, puta blasphemiarum, immunditiarum, & similia.